

Missa est laudis et propitiacionis sacrificium.

LXXXIV. Quia cum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id quod etiam sancta Synodus (*a*) explicavit, sacrosanctum missæ sacrificium esse non solum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii quod in cruce factum est, sed vere etiam propitiatorium sacrificium, quo Deus nobis placatus et propitius redditur.

Missam offerens ut decet, misericordiam consequitur.

LXXXV. Quare si puro corde et accensa fide, et intimo nostrorum scelerum dolore affecti hanc sanctissimam hostiam immolemus et offeramus: dubitandum non est quin (*b*) misericordiam a Domino consecuturi sumus et gratiam in auxilio opportuno: hujus enim victimae odore ita delectatur Dominus, ut gratiae et pœnitentiae donum nobis impertiens peccata condonet. Quamobrem et solemnis est illa Ecclesie precatio: (*c*) Quories hujus hostiae commemoratio celebratur, toties opus nostra salutis exercetur, nimur uberrimi illi cruenta hostiae fructus per hoc incursum sacrificium ad nos manant.

Missa vivis et defunctis fidelibus prodest.

LXXXVI. Deinde vero hujus sacrificii eam vim esse, parochi docebunt, ut non solum immolanti (*d*) et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domini mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima

— (*a*) Trident. sess. 22. De Sacrif. missæ, c. 2 et can. 5.

— (*b*) Hebr. 4, 16. — (*c*) Secreta Dom. 9 post Pentec. —

(*d*) Trid. Synod. sess. 22, c. 2.

traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus ac quibusvis calamitatibus et angustiis.

Missa nunquam est dicenda privata.

LXXXVII. Ex quo facile perspicitur omnes missas communes censendas esse, ut quæ ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem pertineant.

Ad quid in missa tot ceremonie.

LXXXVIII. Habet autem hoc sacrificium multos, eosque maxime insignes ac solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii majestas magis eluceat, et salutaribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, quæ in eo sacrifici occulta sunt, contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est ut plura dicamus: tum quia hoc argumentum longorem explanationem postulare videtur, quam propositæ institutioni conveniat: tum quia innumerabiles pene libellos et commentarios, qui de hac re a piis et doctissimis viris conscripti sunt, sacerdotes in promptu habebunt. Hactenus igitur satis fuerit earum rerum quæ ad Eucharistiam, tum qua sacramentum, tum qua sacrificium sit, pertinent, potiora capita, juvante Domino, exposuisse.

DE PÆNITENTIA SACRAMENTO.

Pænitentia sacramenti necessitas.

I. Quemadmodum humanae naturæ fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur: ita quantam habeat necessitatem pœnitentia sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quæ a parochis

in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei quam tractant, magnitudine et pondere metiri oportet: omnino fatebimur, eos nunquam in hujus loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit: quin etiam de hoc sacramento, quam de baptismino, eo accuratius agendum est, quod baptismus semel tantum administratur, nec iterari potest: pœnitentiae vero toties locus datur, ejusque repetendae toties necessitas imposita est, quoties post baptismum peccare contingat: ita enim a Tridentina Synodo (a) dictum est, sacramentum pœnitentiae non secus lapsi post baptismum, ac baptismum nondum regeneratis, ad salutem necessarium esse: vulgataque illa sancti Hieronymi sententia ab omnibus qui deinceps res sacras tradidierunt, magnopere comprobatur: (b) Pœnitentiam esse secundam tabulam. Ut enim confracta navi, unum vitæ servanda perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat accipere, ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad pœnitentiae tabulam configuiat, sine dubio de ejus salute desperandum est. Hæc autem non ad pastores solum, sed ad reliquos etiam fideles excitando dicta sint, ne forte in eis rei maxime necessaria incuria reprehendatur. Primum enim communis fragilitatis memores omni studio optare debent, ut divina ope adjuti, sine casu aut pro-lapsione aliqua in via Domini progedi possint: quod si nonnunquam offendient, tum vero summa Dei benignitatem intuentes, qui tanquam bonus (c) pastor ovium suarum vulnera obligare eisque mederi solet; hoc saluberrimum pœnitent-

(a) Sess. 6 de Just. c. 14, et sess. 14 de Pœn. c. 5.
(b) In 3 c. Isa. ad hac verba, Ruit Jerusalem, et Epistola 8. — (c) Ezech. 34, 16.

tiae medicamentum nunquam in aliud tempus differendum esse cogitabunt. *De Pœnitentia et Patribus antiquis* scripserunt: Tertullian. librum unum. Cyprian. Epistolæ plures et unum librum de Lapsis. Pacignus librum unum et duas Epistolæ ad Simpronian. ac de Pœnit. et confessione, seu Parac. ad Pœnit. Ambros. libros duos de Pœnit. Chrysostomus Homiliae 10. et sermon. de Pœnit. Ephrem. lib. et serm. de Pœnit. Fulgentius, lib. 2. de Remissione peccatorum ad Euthymium. Gregorius Nyssenus orationem de pœnitentia. Basil homiliam unam quæ est postrema variarum. Augustinus denique librum unum de Vera et falsa Pœnitentia, et librum insignem de Pœnitentiae medicina. His adde Marcum Eremitam cuius exstat de Pœnitentia liber unus, sed caule legendus: de eo vide Bellarm. de Script. eccles. Qui non habet Patres supracitatos, videat in Decreto Gratiani de Pœnitentia 7 distinctiones.

Multiplex pœnitentiae acceptio.

Il. Ut autem rem ipsam aggrediamur, prius explicantia est varia hujus nominis potestas et notio, ne aliquis ambiguitate vocis in errorem inducatur. Nonnulli enim pœnitentiam pro satisfactione accipiunt. Alii, a catholice fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur pœnitentiam nullam temporis præteriti rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiti. Docendum est igitur multiplicem esse hujus nominis significationem.

Prima. — Primum enim pœnitentia de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonumve an malum fuerit. Sic omnes (a) pœnit, quorum

(a) 2 Cor. 7, 10.

tristitia secundum saeculum est, non secundum Reum : cuiusmodi pœnitentia non salutem afferit, sed mortem.

Secunda. — Altera est pœnitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius causa concepit.

Tertia. — Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa, intimo animæ sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa, in eo mœrores sumus. Ac singulis quidem pœnitentia generibus, que commemorata sunt, pœnitentia vox proprie convenit.

Quomodo Deum pœnitit.

III. Nam cum in sacris Litteris Deum pœnitire legimus,(a) id per translationem dici perspicuum est. Eo enim loquendi generе quod ad hominum mores accommodatum est, sacra Littera utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant: quod non aliter facere videatur, quam homines, quos si alicuius rei pœnitit, eam commutare omni studio laborant. Sic ergo scriptum est pœnituisse eum (b) quod hominem fecisset, et alio loco, (c) quod Saulem regem constituisset.

Seligitur vera pœnitentia acceptio.

IV. Verum inter has pœnitentia significaciones magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est: altera est quædam commoti et perturbati animi affectio: tertiam tum ad virtutem pertinere, tum sacramentum esse dicimus: quæ significatio hujus loci propria est.

A pœnitentia ut virus est, cur incipiatur hic.

V. Ac primum quidem de ipsa ut virtutis parte

(a) Psal. 105. 45. Jerem. 26. 5. — (b) Genes. 6. 6. —

(c) 1 Reg. 15. 11.

agendum est; non solum quia fidelis populus ad omne virtutis genus institui a pastoribus debet: sed etiam, quia hujus virtutis actiones tanquam materiam prebent in qua pœnitentia sacramentum versatur, ac nisi prius, quæ sit pœnitentia virtus recte intelligatur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est.

Pœnitentia interior et exterior.

VI. Quare in primis monendi hortandique sunt fidèles, ut omni contentione et studio in intima animi pœnitentia, quam virtutem dicimus, elaborent: sine qua ea, quæ extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. *Vide Amb. in sermone de Penit. et citatur de penit. dist. 3. c. Pœnitentia. August. lib. de Vera et falsa pœnitentia. c. 8. et habetur de Penit. 3. c. 4. Gregor. homil. 34. in Evangel. lib. 9. Regist. Epist. 59.*

Quid sit pœnitentia interior.

VII. Intima autem pœnitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertimus, et commissa a nobis sceleris detestamur, et odio habemus: simulque ilud nobis certum et deliberatum est, malam vitam consuetudinem corruptosque mores emendare, non sine spe venia a Dei misericordia consequenda. Hanc vero dolor et tristitia, quæ perturbatio et affectio est et passio, a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adjuncta. Quamobrem apud complures ex sanctis Patribus pœnitentia definitio hujusmodi animi cruciatu declaratur.

Fides ut ad pœnitentiam pertineat.

VIII. Verum in eo quem pœnit (a) fides pœnitentiam antecedat necesse est: neque enim potest

(a) Trid. sess. 14. de Pen. c. 5, can. 4.

quisquam se ad Deum convertere, qui fide careat; ex quo fit, ut nullo modo paenitentiae pars recte dici possit.

Paenitentia est virtus.

IX. Quod autem intima haec paenitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperite ostendunt multa que de paenitentia tradita sunt pracepta. Lex enim iis tantum actionibus que suscipiuntur cum virtute, praecepit. Negare præterea nemo potest quin dolere quando, quomodo, et quatenus oportet, virtutis sit; hoc autem ut recte fiat, paenitentie virtus præstat. Interdum enim evenit ut ex admissis sceleribus minorem quam pariet dolorem homines capiant. Quin etiam, ut a Salomonе scriptum est, nonnulli sunt (*a*) qui cum maleficerint, latentur; rursus vero alii ita se moriori animi et regritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent; qualis fortasse Cain videri potest qui ait: (*b*) Major est iniquitas mea quam ut veniam merear; et qualis certe Judas fuit; (*c*) qui paenitentia ductus, suspedio vitam et animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, paenitentiae virtute adjuvamur.

Motiva virtutis paenitentiae.

X. Sed idem etiam ex his rebus colligi potest, quas sibi tanquam finem proponit is quem vere peccati paenitet.

Primum. — Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animam culpam et maculam absterget.

Secundum. — Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat; quod quidem ad justi-

(*a*) Prov. 2, 14. — (*b*) Gen. 4, 15. — (*c*) Matth. 27, 5
et d.

tiam referri perspicuum est: nam etsi inter Deum et homines propria justitiae ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent, aliquam tamen esse justitiam constat; cuiusmodi est inter patrem et filios, inter dominum et servos.

Tertium. — Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem et odium propter peccati fidelitatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant paenitentiam ad virtutem spectare.

Quinque gradus ad penitentiam.

XI. Sed docendum est etiam, quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat ascendere.

Primus. — Primum itaque Dei misericordia nos prævenit, corda nostra ad se convertit. Quod cum precatetur Propheta: (*a*) Converte, inquit, nos, Domine, ad te, et convertemur.

Secundus. — Deinde hoc lumine illustrati per fidem ad Deum animo tendimus: (*b*) Credere enim oportet accedentem ad Deum, ut Apostolus testatur, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

Tertius. — Præterea motus timoris consequitur: et suppliciorum acerbitate proposita, animus a peccatis revocatur, atque huc videntur spectare illa Isaiae verba: (*c*) sicut quæ concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus.

Quartus. — Huc deinde accedit spes impetrandæ a Deo misericordiæ, qua erecti vitam et mores emendare constitui mus.

Quintus. — Postremo charitate corda nostra acceduntur, ex qua liberalis ille timor probis et ingenuis filii dignus oritur; atque ita unum il-

(*a*) Thren. 5, 21. — (*b*) Heb. 11, 6. — (*c*) Isa. 26, 17.

lud veriti, ne qua in re Dei majestatem lēdamus,
peccandi consuetudinem omnino deserimus.

Poenitentia eorum promittitur.

XII. Hisce igitur quasi gradibus ad hanc prestantissimam poenitentiae virtutem pervenitur, quae prorsus divina et celestis virtus existimanda est: cui scilicet regnum eorum sacra Littera pollicentur. Nam apud sanctum Matthæum scriptum est: (a) Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum eorum. Et apud Ezechielē. (b) Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia precepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet. Tum alio loco: (c) Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat; quod quidem de aeterna et beatā vita intelligendum esse plane constat.

Exterior poenitentia quæ est sacramentum.

XIII. De externa vero poenitentia docendum est, eam esse, in qua sacramenti ratio consistit, habereque externas quadam res sensibus subjectas, quibus declarantur ea quæ interius in anima fiunt.

Cur a Christo sit institutum hoc sacramentum.

XIV. In primis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus Dominus poenitentiam in numerum sacramentorum referri voluerit. Hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum quam Deus pollicitus est, cum ait: (d) Si impius egerit poenitentiam, etc., minus dubitare nobis licet; vehementer enim pendere animo de intima peni-

(a) Matth. 4, 17. — (b) Ezech. 18, 24. — (c) Ezech. 55, 11. — (d) Ezech. 18, 21.

tentia opus esset, cum de suo cuique iudicio in iis que agit, merito timendum sit.

Prima ratio. — Ut igitur Dominus huic nostræ sollicitudini subveniret, poenitentie sacramentum instituit, quo per sacerdotis absolutiōnem, peccata nobis remissa esse consideremus, conscientiaeque nostræ ob fidem que sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatores redderentur. Neque enim alter accipienda est vox sacerdotis peccata nobis legitime condonantis, quam Christi Domini, qui at paralytico: (a) Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Vide Concilium Trident. sess. 14, c. 1. Innoc. I. Epist. 91 inter Epist. Aug.*

Secunda ratio. — Deinde vero, cum nemo salutem, nisi per Christum ejusque passionis beneficio, consequi possit, consentaneum nobisque utilissimum fuit, ejusmodi sacramentum institui, cuius vi et efficiencia Christi sanguis ad nos defluens, peccata post baptismum admissa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

Poenitentiam esse sacramentum probatur.

XV. Quod vero poenitentia sacramentum sit, pastores ita facile ostendent; ut enim baptismus sacramentum est, quia peccata omnia, ac pressertim quod origine contractum fuit, delet; eadem ratione poenitentia quæ peccata omnia post baptismum voluntate vel actione suscepta tollit, vere et proprie sacramentum dicendum est. Deinde, quod caput est, cum illa quæ extrinsecus tum a poenitentia, tum a sacerdote fiunt, declarant ea quæ interius efficiuntur in anima, quis neget poenitentiam vera et propria sacramentatione prædictam esse? siquidem sacramentum sa-

(a) Matth. 9, 2.

cræ rei signum est: peccator autem quem pœnitent, rerum et verborum notis plane exprimit se animum a peccati turpitudine abduxisse; itemque ex iis quæ a sacerdote geruntur et dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis facile cognoscimus. Quanquam *huc* aperte indicant illa Salvatoris verba: (a) *Tibi dabo claves regni cœlorum;* et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Absolutio enim sacerdotis verbis enuntiata, remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit.

Sacramentum pœnitentiae iterari potest.

XVI. Neque vero solum fideles docendi sunt, pœnitentiam in numero sacramentorum habendum esse, sed eorum, etiam quæ iterari possunt. Querenti enim Petro: Num septies venia peccati danda esset, dominus respondit: (b) Non dico tibi usque septies, sed usque septuages septies. Quare si cum ejusmodi hominibus agendum sit, qui summae Dei bonitati et clementiæ diffidere videantur, confirmandus erit illorum animus atque ad spem divinas gratias erigendus. Quod quidem facile consequentur tum hujus loci et aliorum tractatione, qui in sacris litteris permulti occurrent; tum vero iis rationibus et argumentis quæ ex sanctorum Chrysostomi, (c) libro de Lapsis, et Ambrosii, (d) libris de Pœnitentia petere licet.

Materia pœnitentiae quæ.

XVII. Jam quoniam nihil fidei populo notius esse debet quam hujus sacramenti materia, do-

(a) Matth. 16, 49. — (b) Matth. 18, 22. — (c) Chrys. tom. 5, lib. de Laps. repar. et habetur. de Pœnit. dist. 5, c. Tals. — (d) Amb. de Pœnit. lib. 4, c. 1 et 2. Vide et Aug. lib. de Vera et falsa pœn. c. 5, citatur de Pœnit. dist. 5, c. Adhuc instant,

cendum est, in eo maxime huc sacramentum ab aliis differre, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta: sacramenti vero penitentiae quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio, ut a Tridentina Synodo (a) declaratum est: qui quatenus in pœnitente, ad integratatem sacramenti, et plenam ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiae dicuntur.

Nota. Neque vero hi actus, quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia vere materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, que extrinsecus adhibeatur: ut aqua in baptismō, et chrisma in confirmatione.

Quo sensu peccata sint materia pœnitentiae.

XXIII. Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa hujus sacramenti materiam esse, nihil plane diversum dici videbitur, si diligenter attendamus; ut enim ignis materiali ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur: ita peccata, quæ pœnitentia delentur, recte hujus sacramenti materia vocari possunt.

Forma sacramenti pœnitentiae.

XIX. Sed formas etiam explicatio a pastoribus prætermittenda non est, quod ejus rei cognitione excitet fideliū animos ad percipiendam summam religione hujus sacramenti gratiam. Est autem forma: Ego te abservo; quam non solum ex illis verbis licet colligere: (b) Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in celis; sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. Ac quoniam sacramenta id

(a) Sess. 24, de Pœnit. c. 5, et can. 4.—(b) Matth. 18, 18.

significant, quod efficiunt illa : Ego te abservo, ostendunt peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici: planum est hanc esse pœnitentia perfectam formam. Sunt enim peccata tanquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, et ex quibus pœnitentia sacramento laxantur.

Nota. Quod quidem non minus vere de illo etiam homine sacerdos pronuntiat, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accidente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit.

Formæ pœnitentiae cur preces addantur.

XX. Adduntur præterea complures preces, non quidem ad formam necessariæ, sed ut ea removantur, qua sacramenti vim et efficientiam illius culpa, cui administratur, impide possent. Quamobrem peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in Ecclesia sacerdotibus tribuerit.

Præpollent sacerdotes novæ legis sacerdotibus antiquæ.

XXI. Neque enim, ut olim in veteri lege (a) sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse duntaxat renuntiabant, ita nunc in Ecclesia ea tantum potestas sacerdotibus facta est, ut aliquem a peccatis absolutum esse declarent, sed vere tanquam Dei ministri absolvunt; id quod Deus ipse, gratiæ et justitiæ auctor ac parens, efficit.

Quid observandum accedendo ad pœnitentiam.

XXII. Diligenter vero ritus etiam, qui ad hoc

(a) Levit. 15, 9, et 14, 2.

sacramentum adhibentur, fideles observabunt; ita enim fieri ut animo magis haereant, qua hoc sacramento consecuti sunt, nimurum se tanquam servos clementissimo Domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse: et simul facilius intelligent, quid eos facere oporteat, qui ve- lint, velle autem omnes debent, se tanti beneficii gratos et memores probare. Nam quem peccatorum pœnitent, is se humili ac demissio animo ad pedes sacerdotis dejicit, ut cum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere superbie radices ebellendas esse, a qua omnia scelera, qua deflet, ortum habuerit et ei nata sint. In sacerdote autem, qui in eum legitimus judex sedet, Christi Domini personam et potestatem veneratur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in pœnitentia sacramento administrando Christi munus exequitur. Deinde peccata sua pœnitentia enumerat, ut se maxima et acerbissima animadversione dignum esse fateatur, supplexque delictorum veniam petit. Quia sane omnia vetustatis sue certissima testimonia a sancto Dionysio (a) habent.

Quam salutares fructus ex pœnitentia capiantur.

XXIII. Sed nihil profecto tam proderit fidelibus nihilque majorem illis alacritatem pœnitentia suscipienda afferet, quam si a parochis sepe explicatum fuerit quantam ex ea utilitatem capiamus; vere enim de pœnitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse.

Primus. — Pœnitentiæ (b) itaque omnis in eo

(a) In Epist. ad Demoph. Vide et Tertul. lib. de Pœnit. c. 9. — (b) Conc. Trid. sess. 14, can. 3 et c. 1 de Pœnit.

vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat.

Secundus et tertius. — Hanc vero reconciliacionem interdum in hominibus piis qui hoc sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientia pax et tranquillitas, cum summa spiritus iucunditate consequi solet.

Quartus. — Nullum est enim tam grave et nefarium scelus quod penitentiae sacramentum non quidem semel, sed iterum etsæpius non deleat. Qua de re ita Dominus per Prophetam inquit: (a) Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quas operatus est, et custodierit præcepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Et sanctus Joannes: (b) Si confiteamur peccata nostra fidelis est et justus ut remittat nobis peccata nostra. Et paulo post: (c) Si quis peccaverit, inquit, nullum videlicet peccati genus excipiens, advocationem habemus apud Patrem Iesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Nota. Quod autem in Scripturis legimus quosdam a Domini (d) misericordiam non esse consecutos, quamvis eam vehementer imploraverint, id vero idcirco factum esse intelligimus, quod eos vere atque exanimo delictorum non penitiebat.

Quomodo sit intelligendum peccata quædam esse irremissibilia.

XXIV. Quare cum ejusmodi sententiæ in sacris Litteris, vel apud sanctos Patres occurront, quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non

(a) Ezech. 18, 21. — (b) 1 Joan, 1, 9. — (c) 1 Joan, 2, 4, 2. — (d) 2 Mach. 9, 45.

posse: ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum esse venia interpretationem intelligamus. Ut enim morbus aliquis ea re insanibilis dicitur, quod ægronus ita affectus sit, ut salutaris medicina vim oderit: sic quoddam est peccati genus quod non remittitur, nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium Dei gratiam repellit. In hanc sententiam a Divo Augustino (a) dictum est: Tanta labes est illius peccati (b) cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam, gratiam invidie facibus agitatur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum mala conscientia agnoscere et anuntiare cogatur.

Sine penitentia, peccatorum nulla remissio.

XXV. Sed, ut ad penitentiam revertamur, hec adeo propria ejus vis est, ut peccata delectantur, ut sine penitentia remissionem peccatorum impetrare, aut ne sperare quidem ullo modo licet; scriptum est enim: (c) Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Quod quidem de gravioribus et mortiferis peccatis dictum a Domino est: et si aliquo etiam penitentia genere indigent leviora peccata, que venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus (d) inquit: Cum quædam sit penitentia que quotidie in Ecclesia pro peccatis venialibus agitur, illa sane frustra esset, si peccata venialibus absque penitentia dimitti possent.

Tres penitentia partes integræ, que.

XXVI. Sed quoniam de iis rebus que aliquo

(a) Lib. 1 de serm. Domini in monte, c. 42 et 44, et Retract. lib. 8. c. 19. — (b) Aug. serm. 1 de Verbis Domini, et Epist. 50 ad Bonif. — (c) Luc. 15, 3 et 5. — (d) Aug. lib. 50. Hom. 50, item Ep. 168, et Euch. c. 71.

modo in actionem cadunt, non satis est universe loqui, curabunt pastores sigillatim ea tradere, ex quibus verae et salutaris poenitentiae ratio a fidelibus percipi queat. Est autem hujus sacramenti proprium, ut praeter materiam et formam, que omnibus sacramentis communia sunt, partes, etiam, ut antea diximus, illas habeat quæ tanquam totam, integrangue poenitentiam constituant. Contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem: de quibus divus Chrysostomus (*a*) his verbis loquitur: Poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre: in corde ejus contrito, in ore confessio, in opere tota humilitas, vel fructifera satisfactio. Vide Conc. Trident. 14, de Poenitentia, c. 3 et can. 4. Item. Concil. Florent. in Doctrin. de Sacramentis.

Partium poenitentiae qualitas explicatur.

XVII. Haec autem partes ex earum partium generare esse dicuntur, quæ ad aliquod totum constitendum necessariae sunt: quoniam quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis et aliis hujusmodi partibus, quarum aliqua si desit, merito imperfectum videatur; perfectum vero, si nulla desideretur: eodem etiam modo poenitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut, quamvis, quod ad ejus naturam attinet, contritio et confessio, quibus homo justus efficitur, satis sit; tamen, nisi tertia etiam pars, id est satisfactio, accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit necesse sit.

Partium poenitentiae connexio.

XXVIII. Quare adeo inter se haec partes connexæ

(*a*) Illoc. 41 quæ est de Poenit.

sunt, ut contritio confitendi, et satisfaciendi consilium et propositum inclusum habeat; confessionem contritio, et satisfaciendi voluntas; satisfactionem vero due relique antecedant.

Cur tribus his partibus Poenitentia constet.

XXIX. Harum autem trium partium eam rationem afferre possumus quod animo, verbis, et reipsea peccata in Deum committantur. Quare consentaneum fuit ut nos ipsos Ecclesiæ clavibus subjicientes, quibus rebus Dei sanctissimum numen a nobis violatum esset, iisdem etiam ejus iram placare, et peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur. Sed idem etiam alio argumento confirmari potest. Etenim poenitentia est veluti quedam delictorum compensatio, ab ejus voluntate profecta, qui dereliquit, ac Dei arbitrio in quem peccatum commissum est, constituta. Quare et voluntas compensandi requiritur, in quo maxime contritio versatur: et poenitens sacerdotis iudicio, qui Dei personam gerit, se subjiciat necessiter, ut pro scelerum magnitudine penam constitueret in eum possit: ex quo tum confessionis, tum satisfactionis ratio et necessitas perspicitur.

Contritio definitur et explicatur.

XXX. Quoniam vero harum partium vim et naturam tradere fidelibus oportet, prius incipendum est a contritione, eaque diligenter explicanda. Neque enim ad ullum temporis punctum, cum in memoriam præterita peccata redeunt, vel cum aliquid offendimus, contritione animus debet vacare. Hanc Patres in Concilio Tridentino (*a*) ita definiunt: Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi

(*a*) Ead. sess. 14.

de cetero; et paulo post, de contritionis motu subjicitur: Ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divine misericordiae, et voto præstandi reliqua conjuncta sit, quæ ad ritus suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

Vis efficacitatis contritionis in quo sita.

XXXI. Ex hac itaque definitione intelligent fideles, contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat: aut propositum eius novum vitæ genus instituere, aut ipsum jam instituat, sed in primis male acta vitæ odium et expiationem suscipiendam esse. Id vero maxime confirmant illi sanctorum Patrum: (a) clamores quos in sacris litteris frequenter profusos esse legimus: (b) Laboravi, inquit David, in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum. Et: Exaudivit Dominus vocem fletus mei. Et rursus alius: (c) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quas certe, et alias hujusmodi voces vehemens quoddam ante acta vitæ odium, et peccatorum detestatio expressit.

Contritionis dolor non corporis, sed animi est.

XXXII. Quod autem contritio dolore definita est, monendis fideles ne arbitrentur eum dolorem corporis sensu percipi; contrito enim est voluntatis actio. Et sanctus (d) Augustinus testatur, dolorem pœnitentia comitem esse, non pœnitiam. Verum peccati detestationem et odium doloris vocabulo Patres significarunt, tum quia sacra litteræ ita utuntur; inquit enim David: (e) Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem: tum quia dolor in

(a) Vide de Pœnit. dist. 1, c. Et venit, et ib. dist. c. Totam. — (b) Ps. 6, 7. — (c) Isa. 58, 15. — (d) Homil. 50. — (e) Ps. 12, 2.

inferiori animæ parte, quæ vim concupiscendi habet, ex ipsa contritione oritur: ut non incommodo contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum pœnitentes vestem etiam mutare soliti sint.

Nota. De quo Dominus apud sanctum Mattheum inquit: (a) Væ tibi, Corozain! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.

Quam scite hæc pars penitentiae dicatur contritio.

XXXIII. Recte autem contritionis nomen peccati detestationi, de qua loquimur, ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis que minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur: ut eo vocabulo declararetur corda nostra que superbia obdurarentur, pœnitentiae vi contundi atque conteri.

Nota. Quare nullus alius dolor, vel parentum et filiorum obitum, vel cuiusvis alterius calamitatis causa susceptus hoc nomine appellatur: sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia atque innocentia afficimur.

Aliis nominibus contritio nuncupatur.

XXXIV. Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet; nam et contritio cordis dicitur, quia cordis nomen frequenter sacra litteræ pro voluntate usurpant: ut enim a corde motionum corporis principium sumitur, ita voluntas reliquæ omnes animæ vires moderatur ac regit. Vocatur etiam a sanctis (b) Patribus cordis com-

(a) Matth. 11, 21. — (b) Chrysost. de Compunct. cordis. Isidor. de Summo bono, lib. 2, c. 12.

punctio, qui libros de contritione conscriptos de compunctione cordis inscribere maluerunt. Etenim quemadmodum ferre tumida ulcerâ secentur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda, quasi scapello contritionis adhibito, inciduntur: ut peccati mortiferum virus queant elicere; quare et scissio cordis a Joelle propheta appellata est: (a) Convertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra.

Summus dolor debet esse contritio.

XXXV. Summum vero et maximum dolorem ex peccatis quae commissa sunt, suspiciendum esse, ita ut nullus major excogitari possit, facile erit hisce rationibus demonstrare.

Prima ratio. — Nam cum perfecta contritio sit charitatis actio que ab eo timore qui filiorum est proficiscitur, patet eundem charitatis et contritionis modum statuendum esse: at quoniam charitas, (b) qua Deum diligimus, perfectissimum est amor, hinc fit ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat: ut enim maxime diligendus est Deus, ita quae nos a Deo alienant, maxime detestari debemus.

Nota. In quo etiam illud observandum est eodem loquendi genere, charitatis et contritionis magnitudinem in sacris litteris significari. De charitate dictum est: (c) Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Rursus quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam: (d) Convertimini in toto corde vestro.

Secunda ratio. — Præterea, sicuti Deus sumum bonum est inter omnia quae diligenda sunt,

(a) Joel, 2, 12. — (b) Joan, 4, 7. — (c) Deut, 6, 5. —
(d) Joel, 2, 12.

ita etiam peccatum summum est malum inter omnia quae odisse homines debent: illud sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eamdem rursus peccati summum odium nos capiat necesse sit. Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut ne vita quidem conservanda causa peccare licet, aperte nos docent illa Domini verba: (a) Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et, (b) Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.

Tertia ratio. — Sed illud etiam animadverendum est, ut quemadmodum, sancto Bernardo (c) teste, nullus finis et modus charitati prescribitur (Modus enim, inquit ille: diligendi Deum est ipsum diligere sine modo), ita peccati detestationi nullus modus definitur.

Vehementissima debet esse contritio.

XXXVI. Sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam et socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est: (d) Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tue; et apud Jeremiam: (e) Queretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro, et inveniar a vobis, ait Dominus.

Contritio etsi non tanta, vera tamen est.

XXXVII. Quanquam si id minus consequi nobis licet, ut perfecta sit, vera tamen et efficax contritio esse potest: sepe enim usu venit ut que-

(a) Matth, 10, 57. — (b) Matth, 16, 25. Marc, 8, 35. —
(c) Lib. de diligendo Deo, circa med. — (d) Deut, 4, 29.
(e) Jer, 29, 13.

sensibus subiecta sunt, magis quam spiritualia non afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt.

Lacrymæ non necessariæ licet optandæ.

XXXVIII. Idem etiam judicium faciendum est, si lacrymæ doloris acerbitatem non consequantur: quæ tamen in pœnitentia summopere optanda et commendanda sunt; præclara est enim ea de re sancti Augustini (*a*) sententia: Non sunt, inquit, in te christianæ charitatis viscera, si luges corpus a quo recessit anima, animam vero a qua recessit Deus non luges. Atque hoc spectant illa Salvatoris nostri verba qua supra allata sunt: (*b*) Væ tibi, Corozain! vae tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone facta essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent. Tametsi ad eam rem comprobandum satis esse debent clarissima (*c*) Ninivitarum, (*d*) Davidis, (*e*) Peccatricis, Apostolorum principis (*f*) exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

Singula peccata mortalia contritione detestanda.

XXXIX. Maxime autem hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias contritionem describit, cum ait: (*g*) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Etenim recognoscere omnes annos, est sigillatum peccata excutere, ut ea

(*a*) Serm. 41, de Sanctis. — (*b*) Matth. 11, 21. —

(*c*) Joan. 5, 6. — (*d*) Ps. 6 et 50. — (*e*) Luc. 7, 37, 48, 51.

— (*f*) Matth. 26, 75. — (*g*) Isa. 58, 15.

ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus: (*a*) Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet. Atque in hanc sententiam sanctus Augustinus (*b*) inquit: Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in veritate, in persona.

Nota. Neque tamen hac in re desperant fidèles desumma Dei bonitatem et clementiam: is enim cum nostra salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit; sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegit, et universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit: ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum inquit: (*c*) Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.

Ad veram contritionem quot necessaria.

XL. Ex his igitur colligi poterunt, que ad veram contritionem maxime sunt necessaria; de quibus fidelem populum accurate oportet docere, ut quisque intelligat qua ratione comparare eam possit, regulamque habeat, qua dijudicet, quantum absit ab ejus virtutis perfectione.

Primum. — Primum enim necesse est peccata omnia, quæ admisisimus, odisse et dolere; ne, si quædam tantum doleamus, ficta et simulata, neque salutaris pœnitentia a nobis suscipiatur. Nam, ut a sancto Jacobo Apostolo dictum est: (*d*) Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.

Secundum. — Alterum est, ut ipsa contritio,

(*a*) Ezech. 18, 21. — (*b*) Lib. de vera et falsa relig., c. 14. — (*c*) Ezech. 33, 12. — (*d*) Jac. 2, 10.

confitendi et satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat: de quibus postea suo loco agetur.

Tertium. — Tertium est, ut paenitens vitæ emendanda certam et stabilem cogitationem suscipiat. Hoc vero Prophetæ his verbis aperte nos docuit: (a) Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et justitiam, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum hujus, quas operatus est, non recordabor. Et paulo post: Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Ac paucis interjectis: Convertimini, inquit, et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis; et facite vobis cor novum. Idem etiam Christus Dominus mulieri quæ in adulterio reprehensa est, præscripsit: (b) Vade, inquit, et jam amplius noli peccare. Item paralyticus (c) illi quem ad probaticam piscinam curaverat: Ecce, ait, sanus factus es, jam noli pecare.

Exemplo hæc comprobantur.

XLI. Sed natura quoque ipsa et ratio plene ostendunt, duo illa ad contritionem esse in primis necessaria: dolorem scilicet peccati admissi, et propositum cautionemque, ne quid hujusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, et doleat oportet, quod in eum injurious et contumeliosus fuerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam lessisse videatur:

(a) Ezech, 18, 21. — (b) Joan. 8, 14. — (c) Joan. 5, 14.

quæ duo obedientiam adjunctam habeant necesse est; hominem enim legi, sive naturali et divinæ, sive humane, quibus subjectus est, parere convenit. Quare si quid paenitens alteri per vim, aut per fraudem abstulit, restituat oportet; itemque alicujus aut commodi, aut officii compensatione illi satisfaciat cuius dignitatem aut vitam dicto factove violavit, tritum enim est omnium sermone, quod apud sanctum Augustinum (a) legitimus: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Quartum. — Neque vero inter cetera quæ ad contritionem maxime pertinent, minus diligenter et necessario curandum est: ut quidquid injuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur ac condonetur. Ita enim Dominus et Salvator noster monet atque denuntiat: (b) Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Hæc sunt que fidelibus in contritione observanda sunt, cetera quæ ad hanc rem colligi a pastoribus facile poterunt, efficient quidem, ut in suo genere contritio sit, magis perfecta et absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his vere et salutaris penitentie ratio constare non possit.

Fructus contritionis securus.

XLII. Sed quoniam non satis esse pastoribus debet, si ea doceant quæ ad salutem videntur pertinere, nisi etiam omni cura et industria laborent ut fideles ad eam ipsam rationem quæ illis prescripta est, vitam actionesque suas dirigant, vehementer proderit, contritionis vim et utilitatem

(a) Epist. 54. — (b) Matth. 6, 14.

tem saepius proponere. Nam cum pleraque alia pietatis studia, veluti beneficia in pauperes, ieiunia, preces et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiuntur, a Deo interdum repudientur: ipsa certe contritio nunquam illi grata et accepta esse non potest. Nam, inquit Propheta: (a) Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Quin etiam statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco ejusdem Prophete verba illa declarant: (b) Dixi, confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Atque ejus rei figuram in (c) decem leprosis animadvertisimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, vere contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetreremus.

Ad primum contritionis ut sunt inducendi fidèles.

XLIII. Plurimum etiam valebit ad fidelium mentes excitandas, si pastores rationem aliquam tradiderint, qua se quisque ad contritionem exercere possit.

Primo. — Monere autem oportet ut omnes conscientiam suam frequenter excutientes videant, num qua a Deo, sive ecclesiasticis sanctionibus precepta sunt, servaverint.

Secundo. — Quod si quis alcijus sceleris reum se esse cognoverit, statim seipsum accuset, supplex a Domino veniam exposcat.

(a) Psal. 50, 19. — (b) Psal. 51, 5. — (c) Luc. 17, 14.

Tertio. — Et spatium tum contendit, tum satisfaciendi sibi dari postulet.

Quarto. — In primisque divine gratiae praesidio se adjuvari petat, ne in posterum eadem illa peccata admittat, qua admisisse vehementer pernitet.

Odium peccati unde concitandum.

XLIV. Curandum erit praeterea pastoribus, ut in peccatum summum fidelium odium concitetur, tum quia summa est illius feditas et turpitudine, tum quia gravissima damna et calamitates nobis affert: nam Dei benevolentiam, a quo maxima bona accipimus, longeque majora expectare et consequi licebat, a nobis abalienat et summarorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendos sempernae morti nos addicit. Hactenus de contritione.

Confessio quam utilis.

XLV. Nunc ad confessionem, qua est altera penitentiae pars, veniamus. Quantum vero curae et diligentie in ea explicanda ponere pastores debent, ex eo facile intelligunt, quod omnibus fere prius persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessionis tribuendum esse, ut nulli mirandum sit humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus revertente cogitat, per ministros iniquitatis sue et satellites, hanc velut christianæ virtutis arcem viribus oppugnare conaturum esse.

Quam necessario instituenda erat confessio.

XLVI. Primum itaque docendum est, confessionis institutionem nobis summopere utilem atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc con-

cedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementer, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas, cum scelerum magnitudine æquari conferre possit; at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili concilio effecte cum claves regni cœlestis Ecclesiae tradidit.

Contritionem perficit confessio.

XLVII. Etenim ex fidei catholicae doctrina, omnibus credendum et constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constitutus: et si ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit: ei tamen, cum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, ut clavum scelerum omnia remitti ac condonari, ut merito a sanctissimis viris Patribus (*a*) nostris celebratum sit Ecclesiae clavibus adiutum in celum aperiri, de quo nemini dubitare fas est, cum a Florentino concilio decretum legamus, penitentia effectum esse ablutionem a peccatis.

*Emendandi mores medium certissimum
confessio.*

XLVIII. Verum ex eo præterea licet cognoscere, (*b*) quantum afferat confessio utilitatem, quod iis quorum corrupta vita consuetudo, nihil tam prodesse ad mores emendandos experimur, quam si

(*a*) Amb. serm. 1 de Quadrag. citatur de Pœnit. dist. 1, c. Ecce nunc. August. lib. 2 de Adult. conjug. 59. Chrys. de Sacer. lib. 3 in Decreto Eugeni IV. — (*b*) De Pœnit. dist. 6, Sacerdos.

interdum occultas animi sui cogitationes, facta dictaque omnia prudenti et fidelis amico patefaciant, qui eos opera et consilio juvare possit. Quare ad eamdem rationem maxime salutare existimandum est iis qui scelerum conscientia agitantur, ut sacerdoti, tanquam Christi Domini vicario, cui perpetui silentii severissima lex proposita est, animæ sue morbos et vulnera aperiant, statim enim parata sibi medicamenta inventient, que non solum praesentis ægitudinis sanande, verum ita preparandæ animæ celestem quamdam vim habent, ut deinceps facile futurum non sit in ejusdem morbi et vitii genus recidere.

Malos exercet confessio.

XLIX. Neque vero illa confessionis utilitas pretermittenda, que ad vitæ societatem et conjunctionem magnopere pertinet: constat enim, si sacramentale confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse; que postea, et alia etiam multo graviora, homines, peccati consuetudine depravati, palam committere non verebuntur; etenim confitendi verecundia, delinquendi cupitati et licentiae tanquam frenos injicit, et im probitatem coeret.

Confessionis sacramentalis descriptio.

L. Sed jam confessionis utilitate exposita, quæ sit ejus natura et vis, pastoribus tradendum erit. Eam igitur definiunt esse peccatorum accusacionem, qua ad sacramenti genus pertinet, eo susceptam ut veniam virtute clavum impetremus.

Peccata quo animo in confessione declaranda.

LI. Recte autem accusatio dicitur, quod peccata ita commemoranda non sunt, quasi sclera nostra

ostentemus, ut ii faciunt, (a) qui laetantur cum maleferint; aut omnino enarranda, ut si rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus. Verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus.

Ob veniam impetrandam confitendum.

LII. Venie autem impetranda causa peccata confitemur: quoniam hoc judicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum questionibus, in quibus confessionis pena et supplicium, non culpe liberatio et errori venia constituta est: in eamdem fere sententiam, quamvis alii verbis, sanctissimi Patres (b) videntur confessionem definiisse veluti cum sanctus Augustinus inquit: (c) Confessio est, per quam morbus latens spe veniae aperitur; et sanctus Gregorius: (d) Confessio est peccatorum detestatio: quare utraque, quod in superiori definitione continetur, facile ad eam referri poterit.

Confessio a Christo instituta.

LIII. Sed jam, quod omnium maxime faciendum est, docebunt parochi, ac sine ulla dubitatione fidelibus tradent, (e) hoc sacramentum a Christo Domino, qui bene omnia, et unius salutis nostrae causa fecit, ob eius summam bonitatem et misericordiam institutum esse. Apostolus enim post resurrectionem unum in locum congregatis insuffavit, dicens: (f) Accipite Spiritum san-

(a) Prov. 2, 14. — (b) Chrysost. 20 in Genes. — (c) Aug. Serm. 4 de Verbis Domini. — (d) Greg. Hom. 40, in Evang. — (e) Vid. Trident. sess. 14, de Poenit. c. 3, et can. 6. Aug. lib. 50. Hom. homil. 49, et citatur de Poenit. dist. 1. c. Agite. Orig. hom. in Psalm. 31. Chrysost. de Sacerd. lib. 3. — (f) Joan. 20, 22, 23.

ctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

Sacerdotibus facienda confessio.

LIV. Atque idem significare visus est Dominus, cum Apostolis id negotii dedit, (a) ut Lazarum a mortuis excitatum a vinculis solvere, quibus constrictus erat; nam sanctus Augustinus (b) eum locum ita explanat: Ipsi, inquit, sacerdotibus plus jam possunt proficere, plus consentibus parcere quibus crimen remittunt: Dominus scilicet per ipsos Apostolos Lazarum, quem jam suscitaverat, obtulit discipulis solvendum, ostendens potestatem solvendi esse concessam sacerdotibus. Quo etiam pertinet, quod iis qui a lepra in itinere curati sunt, praeceperat, (c) ut sacerdotibus se ostenderent illorumque judicium subirent. Cum igitur Dominus potestatem remittendi et retinendi peccata sacerdotibus tribuerit, perspicuum est ipsos etiam ea de re judices constitutos fuisse. At quoniam, ut sancta Tridentina Synodus (d) sapienter admonuit, de qualibet re verum judicium fieri, atque in repetendis criminum penit. justitia modus teneri non potest, nisi plane cognita et perspecta causa fuerit: ex eo sequitur in poenitentium confessione singulatum peccata omnia sacerdotibus patefacienda sint. *Sacerdotes esse peccatorum judices docent Augustinus, lib. 20 de Civitate Dei, c. 9. Hieronym. Epist. 1, ad Heliod. Chrysostom. lib. 5 de Sacerd. et Hom. 5 de Verbis Isaiae. Gregor. Hom. 26 in Evang. Ambros. lib. 2 de Cain. c. 4. Trid. sess. 14 de Poenitent. c. 5, can. 7.*

(a) Joan. 11, 44. — (b) De vera et falsa Poenit. c. 16, et serm. 8 de Verbis Domini. — (c) Luc. 17, 14. — (d) Sess. 10, c. 5, et can. 7 de Poenit.